

In regionibus nostris admodum difficile est verum et genuinum vinum pro SSmo Missae Sacrificio mihi comparare. Fidi namque debeo mercatoribus extraneis et ignotis, qui aliquando jam non genuinâ merce defraudarunt. Nunc ab aliquo tempore in ipsâ civitate N. quidam vir ex uvis nostrae regionis vinum parare coepit. Sed, cum haec uva egentissima sit materiâ sacchariâ et consequenter vinum inde proveniens non multum *alcool* contineat, curatione aliquâ opus est, ut vinum elevetur ad illum gradum *alcoolitatis*, quem ejus servatio requirit. Hunc in finem laudatus vir methodum evaporationis musti adhibere proponit ad vinum pro SSmo Sacrificio parandum, eâ quidem ratione ut liquor ex uvis expressus, ad dimidium decoctus, vinum producat quod 14 vel 16 gradus *alcool* habeat.

Ad omnem tamen in re tanti momenti dubitationem tollendam, Archiepiscopus Orator humiliter declarari postulat :

Utrum licitum sit ad SSimum Missae Sacrificium offerendum hujusmodi vino uti ?

Feria IV, die 22 Maii 1901.

In Congreg. Generali S. R. et U. Inquisitionis ab EEmis et RRmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus habitâ, proposito praedicto dubio praehabitoque RR. Consultorum voto, iidem EE. ac RR. Patres decreverunt :

“ Detur Decretum diei 5 Augusti 1896, quod sonat :

“ Utrum licitum sit ad S. Missae Sacrificium uti vino
 “ ex musto obtento, quod ante fermentationem vinosam
 “ per evaporationem igneam condensatum est ? — Resp. :
 “ Licere, dummodo decoctio hujusmodi fermentationem
 “ alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio natura-
 “ liter obtineri possit et de facto obtineatur.”

Sequenti vero Feria VI, die 24 Maii 1901, in solitâ Audientiâ SSmi D. N. Leonis, Div. Prov. PP. XIII, a R. P. D. Commissario S. Officii habitâ, SSmus D. N. resolutionem EEmorum Patrum approbavit.

I. Can. MANCINI, S. R. et U. Inquisit. *Notarius.*